



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

XX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

## XIX.

**P**ONTIANVS, natione Roman<sup>9</sup>, ex patre Calpurnio, sedit annis 9. mens. 5. dieb. 2. Hic & Hippolytus presbyter exilio sunt deportati ab Alexandro de Sardinia insula Butiana, ibiq; defunctus, martyrio coronatus est 3. Kalend. Nouemb. Quem B. Fabianus adduxit cum clero per nauim, & sepeliuit in cimiterio Calixti via Appia. Et cessauit Episcopatus dies 10.

## XX.

**A**NTHERVS, natione Græcus, ex patre Romulo, sedit annis 12. mense vno, dieb. 12. Hic martyrum gesta diligenter inquisiuit, & in Ecclesia recondidit. Martyrioq; coronatus, sepultus est in cimiterio Calixti, via Appia, 3. nonas Ianuar. Et cessauit Episcopatus dies 13.

## XXI.

**F**ABIANVS, natione Romanus, ex patre Fabio, sedit annis 14. mens. 11. dieb. 10. Hic regiones diuisit diaconibus, & fecit sex diaconos, qui septem Notariis imminerent. Eo tempore superuenit Nouatus ex Africa, & separauit Ecclesiam. Fabianus verò martyrio coronatus, sepultus est in cimiterio Calixti, via Appia, 13. Kalend. Februar. Et cessauit Episcopatus dies 6.

## XXII.

**C**ORNELIUS, natione Romanus, ex patre Castino, sedit annis 2. mensibus 3. & dieb. 10. Qui Centum cellis pulsus est, & ibidē accepit à Cypriano martyre in carcere scriptam. Quo etiam loco decollatus, martyr effectus est. Cuius corpus noctu collegit B. Lucina cum clericis, & sepeliuit in crypta iuxta cimiterium Calixti, via Appia, in prædio suo. 18. Kalend. Octobris. Et cessauit Episcopatus diebus 35.

## XXIII.

**L**VCIVS, natione Romanus, ex patre Porphyrio, sedit annis 3. mens. 7. dieb. 6. Hic in exilio fuit. Sed postea incolumis ad Ecclesiam suam reuersus præcepit, vt duo presbyteri, & tres diaconi in omni loco Episcopum non desererent propter testimonium Ecclesiasticum. Qui etiam à Valeriano capite truncatus 3. nonas

Q 3

Mart.